



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de  
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum  
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium  
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico  
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore  
distinctus

**Chokier, Érasme de**  
**Coloniae Agrippinae, 1684**

47. Ordinarius an procedat contra hæreticos exemptos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

materia supra notavimus, dum de continuatione instantiæ in exemptum quaerimus lib. 2. quæst. 19. n. 7. item quæst. 5. n. 6. 9. 10 & seqq. item quæst. 16. n. 12. & seqq. Tota enim exemptionum vis ex verbis & mente Pontificis dependet, velut hæcenus satis frequenter probavimus lib. 1. cap. 43. n. 1 & 2. per cap. quanto cap. porro. c. recepimus de privileg. l. credendam ff. qui petant tutores.

---



---

 QVÆSTIO XLVII.
 

---

Ordinarius an procedit contra hæreticos exemptos.

## SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Ordinarius procedit contra hæreticos exemptos. | Landum.   |
| 2. Quod verum est in hæresi proprie sumpta.       | 4. An procedat contra asserentem fornicationem non esse peccatum. |
| 3. Ab ordinario ad sanctam Sedem appellatur.      | 5. Quid de communitate per hypocrisim.                            |
|   | 6. Quid de insordescente.   |

- O**rdinarius inquirendi jus habet atque judicandi hæreticos Abb. cap. cum contingat col. 7. de foro comp. Lap. alleg. 114. circa fin. Jacob. de bellonisu rep. c. Romana §. contrahentis de foro comp. in 6. oppos. 6 fol. 26. Idque tanquam Apostolica autoritate delegatus tex. ubi Abb. & DD. cap. ad abolendam de hæreticis glo. c. per hoc ver. delegata eod. in 6. c. irrefragabili §. excessus de officio ord. Clem. cum ex eo de sent. excom.
2. Quod tamen de hæresi vera & proprie sumpta intelligendum est, contra autem improprie hæreticos exemptos procedere non possit Calder. conf. 5. de hæretic. Odra. conf. 210. Rot. decis. 875. incip. accusatus de hæresi in antiquis. verba enim in proprio significari sunt accipienda c. ad audientiam de decimis l. non aliter de leg. 3. Unde infero, quod ab ejusmodi ordinario procedente appellari debet ad sanctam Sedem super questionem de officio deleg. Abb. d. c. ad abolendam n. 16. dixi supra li. 2. ca. 12.
4. Utrum autem ordinarius procedere possit contra exemptum dicentem v. g. fornicationem non esse peccatum, videatur Capell. Tholos. dec. 306.
5. Item an cognoscat de exempto per Hypocrisim recipiente hostiam non consecratam Calder. conf. 4. de hæreticis.
6. Contra insordescentem in excommunicatione videtur quod inquirere possit ne nervus Ecclesiasticæ disciplinæ corrumpatur, cap. excommunicatorum 32. quæst. 5. cap. cum inter vos de consuet. quando quidem ejusmodi non caret scrupulo hæreticæ pravitatis, qui Ecclesiæ censuras & mandata contemnunt. Abb. cap. 1. ubi late de in-



judicis glo. cap. excommunicavimus §. qui autem de hereticis optime Menoch. de arbitr. iudic. cent. 5. casu 46. n. 53. & seqq. estque id dispositione Concilij Trident. pro indubitato sess. 25. cap. 3. de refor. quod Menoch. explicat non modo in excommunicatione ex causa criminali, sed etiam ex debito civili d. casu 416. n. 54.

QVÆSTIO XLVIII.

Exempti an pro absolutione decimarum conveniri possint coram ordinario.

SUMMARIUM.

1. Exemptus non solvens decimam dicitur delinquere in loco non exempto.

**P**RO affirmativa, pridem respondit Dominianus à S. Germiniano *conf. 27. incip.* quia punctus iste quem refert Rebuffus de decimis *quæst. 15. num. 18.* ubi inquit quod exemptus non solvens decimam, delinquit in loco non exempto, attento loco in quo debet fieri solutio licet delictum originem sumat in loco exempto: quia quando delictum surgit ex facto negativo, cuius contrarium scilicet factum affirmativum debebat fieri in certo loco non exempto, tunc locus delicti censetur in quo actus ille affirmative explicari debeat, negatio enim cognosci non potest nisi per respectum adhibitum, cum non habeat terminos possibiles *cap. bona i. de elect. cap. quoniam contra de probat. not. Barb. l. libellorum de accusat.* Id quod etiam confirmat Philippus Francus adhibita tamen quadam distinctione in *cap. 2. §. diœcesani n. 2. in fin. de decimis in 6.* His verbis, Quod si Ecclesiæ sunt exemptæ & per consequens decimæ dictis Ecclesiis debentur, tunc Diœcesanus se non potest intromittere, & ita debet intelligi iste text. & supra de *negl. prælat. suppl. cap. sicut.* Sed si Ecclesiæ non sunt exemptæ, tunc Diœcesanus se intromiscere potest, licet decimæ sint exemptæ, vel Ecclesiæ sint exemptorum, ut hic in 1. parte text. & supra eod. tit. *cap. 7. de præbendis.* Ita ille. Ne sim fufior, invenio Paponium hanc quæstionem valde copiose disputantem, à quo articuli huius exâmen peti poterit *vide in arrestu lib. 1. tit. 10. des Chevaliers de S. Jean. arresto 5. per tot. ubi late.* Ita tamen ut semper considerari debeat privilegiorum tenor, à quibus totus hic tractatus & dijudicatio dependet *cap. porro de privilegio.*

QVÆ-